

mus, eas eisdem principibus ex parte nostra prudenter assignes et ad promotionem karissimi in Christo filii nostri regis Ottonis illustris diligenter intendens secundum tenorem litterarum ipsarum eosdem principes exhorteris ad nostrum beneplacitum exequendum, prout melius tibi fuerit desuper inspiratum. Tu ergo, dilectissime fili, de cuius obedientia plene confidimus, mandatum apostolicum taliter exequaris, quod tue discretionis prudentia clareat in effectu et nos devotionem tuam debeamus merito commendare. Datum Sore etc. ut supra\*).

## 124.

*Graf Dietrich von Sommerschenburg und Markgraf Konrad von der Ostmark bestätigen die Stiftung des Klosters Zschillen durch ihren Vater, den Grafen Dedo, und schenken demselben genannte Ortschaften.* Rochlitz, 1208 Sept. 6.

*Hdschr.: Kop. Perg. im besiegelten Transsumpt des Burggrafen Albert von Altenburg d. d. 1279. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 84.*

*Anm.: Die Urkunde ist erst nach Dietrichs Tode († 1207 Juni 13) ausgestellt und als Beurkundung und Bestätigung der Handlung, wie sie bei Lebzeiten Dietrichs Statt gefunden — presentem paginam, que huius facti certum maneat indicium, conscribi iussimus — durch den Markgrafen Konrad, seinen Nachfolger, anzusehen. An Vollziehung der Handlung wurde Dietrich wahrscheinlich durch seine Reise nach Würzburg und durch seinen daselbst erfolgten plötzlichen Tod verhindert.*

In nomine sancte et individue trinitatis. Theodericus et Cunradus divina favente clemencia comes de Sumersenbure et marchio Orientalis (!) omnibus in perpetuum. Cum ea solum, que divinis cultibus indulgemus, post huius vite decursum nobis suffragari debeant, necesse est, ut, si quid boni quandocunque fecerimus, summo studio caveamus, ne malorum ingenio in posterum retractetur. Omnium itaque fidelium tam presentium quam futurorum pie devocioni pateat, quod beate memorie marchio Dedo pater noster scilicet pro sua suorumque salute in fundo proprietatis sue in loco, qui Scillen vocatur, nostro aliorumque heredum suorum, sicut adhuc ipsius scripto super hoc dato testante perpendi poterit, concurrente consensu ecclesiam construxit, quam in laudem beate virginis consecrari instituit ibique fratres, qui sub habitu regulari secundum statutum beati Augustini deo die noctuque deserviant, connavit. Quo defuncto et in eadem ecclesia una cum collectali sua matre nostra sepulto nos amplius ipsorum et nostro intendentes salutari remedio de proprietate ad nos hereditarie devoluta sex villas, Reinoldeshagen scilicet, Egghardesbere, Sifridesdorp, Winkele, Zorneske, Sillenen ad sustentacionem inibi deo famulantium eidem ecclesie a nostro iure in suum ius secundum institutionem patris nostri perpetualiter transtulimus cum omnibus utensilibus ad ipsas rite pertinentibus in areis, edificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, venacionibus, aquis aquarumve decursibus, piscacionibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et redditibus, quesitis et inquirendis cunctisque aliis appendiciis, que ad hec dici possunt, et dimidium beneficium in Gerardeshagen, quod in vulgari len vocatur. Ut autem hec nostra donacio

123. a) *Ep. 161*: Datum Sore XIII. kal. sept. pont. nostri anno xi.